

Ingenij uires releuant, & corporis augent,
Si modicè, ut fas est, dulcia uina bibis.
Ast malè gustati blandissima pocula uini,
Tristitiam pariunt, pectoribusq; nocent.
Et magis insanum furioso pectore reddunt,
Qui uita & uerbis stultior antè fuit.
Propter inhumanos etiam hinc, post pocula, mores
Sæpe cruentato cæsus it ore domum.
Sed fortè incipient in nos seuire bibones,
Et malè, quod feruens talia dico, ferent.
Qui tamen admittunt, quæ me monitore loquuntur,
Consilium optantes pondus habere meum:
Auxiliante Deo, nimij certamina Bacchi
Vitabunt, hostes criminis huius erunt.
Cetera quæ placidos gens Bacchica diligit haustus,
Non uelit hic dictis esse inimica meis.
Sed potius faciles dicenti præbeat aures,
Atq; probet causam, quo decet ore, meam.
Quilibet ad stygij properabit tartara regni,
Crudelis nigri prædæq; regis erit:
Si, dum uita manet, non crimine cedit ab isto,
Et uenia moritur reprobus absq; Dei.
Sanctus enim Pauli loquitur quæ spiritus ore,
Non possunt ueram fallere uerba fidem.
Ebria cælorum soboles non ibit ad arcem,
Ibit ad ardenres ebria turba rogos. 2. Cor. 6.
Non igitur madidi cupiant me odisse sodales,
Sed sibi sint iræ proxima causa suæ.
Tabificas